9. *Iidem*, AA. et CC. Aristenæto.

Instrumentis etiam non [12] intervenientibus, semel divisio [13] recte facta non habetur irrita.

10. *Iidem*, AA. et CC. Victorino.

Cum instrumentis etiam non intervenientibus venditio [14] facta rata maneat : consequenter [15] amissis etiam, quæ intercesserant, non tolli substantiam veritatis placuit.— Dat. 8 kalend. novemb. *Retinassi*, AA. Conss.*

11. *Iidem*, AA. et CC. Theagenæ.

Emancipatione facta, etsi actorum tenor non existat, si tamen aliis indubiis probationibus, vel ex personis, vel ex instrumentorum incorrupta fide factam esse emancipationem probari possit : actorum interitu [16] veritas convelli non solet. — Dat. 3 id. novemb. AA. Conss.*

12. *Iidem*, AA. et CC. Dionysiæ.

Non idcirco minus in vacuam [17] inductus prædii possessionem donationis causa, quod ejus facti prætermissum instrumentum adseveratur, hanc obtinere potes. — Dat. id. decemb. *Nicomediæ*, AA. Conss.*

13. *Iidem*, AA. et CC. Leontio.

Apud eos, qui rem gestam ignoraverunt, amissorum instrumentorum habita testatio nihil ad probationem veritatis prodesse potest. — Dat. 16 kal. Januar. *Nicomediæ*, AA. Conss.*

14. *Iidem*, AA. et CC. ad Severum comitem Hispaniarum.

Scripturæ diversæ fidem sibi invicem derogantes, ab una eademque parte prolatæ, nihil firmitatis habere poterunt. — Dat. 4 kal. Maji, *Viminacii*, CC. Conss.*

15. Imp. Constantinus A. ad populum.

In exercendis litibus eandem [18] vim obtinent [19] tam fides instrumentorum, quam depositiones testium. — Dat. *Romæ*, 12 kal. August. Gallicano et Basso Conss. 317.

16.

Si conventus quis negaverit manum propriam prolatam in libello aut alia charta, si quidem ex comparatione [20] is convincatur, hoc est, alia ejus prolata manu, et comparata cum ea quæ est in libello, det is pœnæ nomine actori pro mendacio solidos viginti quatuor. Si vero aut tabellio productus fuerit, apud quem instrumentum scriptum est, aut alii quidem testes pro veritate deponentes, tunc ipse præter pœnam viginti quatuor aureorum non possit habere licentiam objiciendæ exceptionis pecuniæ non numeratæ, ut dicat, quamvis instrumentum factum fuerit, ea tamen quæ in eo scripta sunt non fuisse data : sed omnimodo condemnetur, etiamsi nihil ipsi revera solutum est.

§ 1. Hæc quidem obtineant, si conveniatur quis ex proprio contractu. Si vero tutor est, aut curator unius earum, quæ sub cura esse solent personarum, masculus aut fœmina secundum constitutiones tutelam gerens propriorum liberorum, et manum propriam prolatam in contractu eorum, qui sub tutela aut cura sunt, inficiatus fuerit, tunc si quidem ex sola comparatione convincantur mentiri, præstent ipsi viginti quatuor aureos. Si vero ex productione tabellionis, aut testium, pecuniæ quidem non numeratæ exceptio ne adimatur his, qui sub tutela vel cura sunt (neque enim peccarunt illi) sed ipsi tutores aut curatores alios viginti quatuor aureos pœnæ nomine dent actori, habentibus his, qui sub tutela aut cura sunt, salvam sibi pecuniæ non numeratæ exceptionem. Neque enim æquum est ipsos ex alienis [21] peccatis damno adfici. — § 2. Hæc de reis conventis ubi dixit constitutio, transitum fecit, et ad agentium personam. Jubens ut si actor manum propriam inficietur positam in charta contra ipsum prolata, forte in ea quæ de suscepta dicitur confessione, et ipse similiter, siquidem ex sola comparatione convincatur, præstet viginti quatuor aureos : si vero ex productione tabellionis aut testium, tunc modis omnibus imputet, et agnoscat contenta in illa charta, etiamsi re vera non sunt accepta ab ipso. Hæc si proprio nomine agat. Si vero tutor est aut curator dat quidem duplam pœnam viginti quatuor aureorum. Is vero qui sub tutela aut cura est, possit objicere probationi exceptionem non numeratæ pecuniæ.

17. Imp. Justinianus A. Mennæ P. P.

Contractus venditionum vel permutationum, vel donationum, quas intimari [22] [non] est necessarium, dationis etiam arrarum, vel alterius cujuscunque causæ, [quas tamen] in scriptis fieri placuit : transactionum etiam, quas in instrumento recipi convenit, non [23] aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata; et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, et postremo a partibus absoluta sint : ut nulli liceat prius quam hæc ita præcesserint, vel a scheda conscripta (licet literas unius partis vel ambarum habeat) vel ab ipso mundo, quod necdum est impletum vel absolutum, aliquod jus sibi ex eodem contractu vel transactione vindicare : adeo ut nec illud in hujusmodi venditionibus liceat dicere, quod pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere [24], vel id quod emptoris interest, ei persolvere. Quæ tam in postea conficiendis instrumentis, quam in his quæ jam scripta, nondum autem absoluta sunt, locum habere præcipimus : nisi jam super his transactum sit [25], vel judicatum, quæ retractari non possunt. exceptis emptionalibus tantum instrumentis jam vel in scheda, vel in mundo conscriptis ad quæ præsentem sanctionem non extendimus, sed prisca jura in his tenere concedimus. Illud etiam adjicientes, ut in posterum si quæ arræ super facienda emptione cujuscunque rei datæ sunt, sive in scriptis, sive sine scriptis : licet non sit specialiter adjectum quid super iisdem arris non procedente contractu fieri oporteat, tamen et qui vendere pollicitus est, venditionem recusans in duplum [26] eas reddere cogatur, et qui emere pactus est, ab emptione recedens, datis a se arris cadat, repetitione earum deneganda. — Dat. kalend. Junii, domino nostro Justiniano A. 2 Conss. 528.

18. *Idem*, A. Mennæ P. P.

Judices, sive in hac inclyta urbe, sive in provinciis, [secundum] ea quæ disposuimus [27], ut possint si hoc perspexerint, occasione testium in aliis [28] locis degentium litigantes vel procuratores eorum ibi destinare, ut depositionibus sub utriusque partis præsentia factis, res ad eos referatur : etiam in illis servare volumus, qui prolatis instrumentis fidem adhibere exiguntur : ut si poposcerint, in aliis locis id eis facere permittatur : et hoc si juste peti judex invenit, similis proferatur sententia : ut postquam in locis opportunis fides instrumento data vel minus data fuerit, referatur negotium ad priorem judicem. — Dat. 8 id. aprilis, Decio V. C. Cons. 529.

In Authent. de testibus, § et quoniam, § hæc omnia, collat. 7, tit. 2, Novell. 90, cap. 5.

Apud eloquentissimum aliquem judicem vel defensorem civitatis, sive a provincia in provinciam, vel ab urbe in urbem, sive ab urbe in provinciam hæc petantur : sed hoc in civilibus tantummodo causis : nam in criminalibus testes apud judices repræsentandi sunt, et cum res exegerit, tormentis [29] subjiciendi.

19. *Idem*, A. Demostheni P. P.

Plures apochis, vel redituum, vel usurarum perceptis, si quando super his fuerit dubitatio exorta : eas habere [se] negando, jus agentium faciunt vacillare, cum coloni adversus dominum certantes, et sibi iniquam forte libertatem vindicantes, vel debitores creditoribus suis temporalem præscriptionem opponere cupientes, ad easdem inficiationes perveniant. Quod resecantes, jubemus, ut in præfatis casibus, vel aliis privatis similibus si voluerit is qui apocham conscripsit, vel exemplar cum subscriptione ejus qui apocham suscepit, ab eo accipere, [vel antapocham suscipere] omnis ei licentia hoc facere concedatur, necessitate imponenda apochæ susceptori antapocham reddere : ita tamen, ut si hoc is qui apocham conscripserit, facere neglexerit, vel non curaverit : nullum ei præjudicium ex eo quod antapocham non recepit, generetur, cum hoc quod pro quibusdam introductum [30] est, inferre eis jacturam minime rationi conveniat æquitatis. — Dat. 12 kalend. octobr. *Chalcedone*, Decio V. C. Cons. 529.

20. *Idem*, A. Juliano P. P.

Comparationes literarum ex chirographis fieri, et aliis instrumentis quæ non sunt publice confecta, satis abundeque occasionem criminis falsitatis dare, et in judiciis, et in contractibus manifestum est. Ideoque sancimus, non licere comparationes literarum ex chirographis fieri, nisi trium testium habuerint subscriptiones, ut prius literis eorum fides imponatur, vel [ex] ipsis hoc deponentibus, sive cunctis, sive omnimodo duobus ex his sine comparatione literarum testium procedente : et tunc ex hujusmodi chartula jam probata comparatio fiat, aliter etenim fieri comparationem nullo concedimus modo, licet in semetipsum aliquis chartam conscriptam proferat : sed tantummodo ex forensibus, vel publicis instrumentis, vel hujusmodi chirographis quæ enumeravimus, comparationem trutinandam. Omnes [autem] comparationes non aliter fieri concedimus, nisi juramento [31] antea præstito ab his qui comparationem faciunt, fuerit affirmatum, *quod neque lucri causa, neque inimicitiis, neque gratia [32] tenti, hujusmodi faciunt comparationem* : et hoc observari tam in omnibus sacris nostris scriniis, quam in apparitione omnis sublimissimæ præfecturæ, necnon magisteriæ potestatis, cæterisque omnibus judiciis quæ in orbe nostro constituta sunt, his omnibus in posterum observandis. Comparationes enim jam antea factas retractari, extra periculum minime est. — Dat. 14 kalend. april. Lampadio et Oreste Conss. 530.

In Authent. de his qui ingrediuntur ad appell., § illud etiam judicavimus, coll. 5, tit. 4, al. 11, Novell. 49, cap. 2.

Ad hæc, ex his literis quibus adversarius tuus utitur, et profert : recte petis examinationem fieri. Item et charta quæ profertur ex archivo publico, testimonium publicum habet.

In Authent. de instrumentis caut. et fid., § oportet vero, § seq., coll. 6, tit. 3, al. 2, Novell. 73, cap. 8 et 9.

At si contractus fiat in civitate, et unam libram auri excesserit : omnimodo collationi adsit argumentum quodlibet, nec credatur ei soli.

21. *Idem*, A. Juliano P. P.

Cum quidam instrumentum protulerit, vel aliam chartulam, eique fidem imposuerit, postea autem persona contra quam ista chartula vel instrumentum prolatum est, quasi falsum hoc constitutum redarguere nitatur : ne diutius dubitetur, utrum necessitatem ei qui protulit, imponi oporteat repetita vice hoc proferre, an sufficiat fides jam approbata : sancimus, si quid tale eveniat, eum qui petit iterum eam chartam proferri, prius sacramentum [33] præstare, *Quod existimans se posse falsum redarguere quod prolatum est, ad hujusmodi veniat petitionem.* Quid enim, si cum nosset deperditam esse chartam, vel forte concrematam, vel alio modo diminutam, hanc requiri adsimulans, et ad difficultatem productionis respiciens, hujusmodi faciat petitionem? Et postquam hoc ab actore vel petitore fuerit juratum et inscriptionum pagina apud competentem judicem deposita : tunc necessitatem imponi ei qui protulit chartam de qua quæritur, iterum eam apud judicem criminis proferre, quatenus possit apud eum crimen falsitatis ventilari. *Sin autem dicat, non esse sibi possibile eam ostendere, quia per fortuitos casus hujus copia ei abrepta sit :* tunc subeat sacramentum, *Quod nec habeat eandem chartulam, nec alii eam dederit, nec apud alium voluntate ejus constituta sit, nec dolo malo fecerit quominus appareat* [ea,] *sed re* [*vera*] *ipsa chartula sine omni dolo sit deperdita, et productio ejus sibi impossibilis sit,* et si tale subeat sacramentum ab hujusmodi necessitate relaxetur. Quod si prædictum jusjurandum subire minime maluerit : tunc quasi falsa chartula nullas habeat vires adversus eum contra quem prolata est, sed sit penitus evacuata. Neque enim ulterius pœnam produci contra eos qui non juraverint, volumus : cum forsitan quidam subtili reverentia [34] tenti, nec verum sacramentum præstare patiuntur. Eandem autem copiam ei præstamus, donec causa apud judicem ventilatur. Si enim jam plenissimum finem accepit, et neque per appellationem suspensa est, neque per solitam retractationem adhuc lis vivere speratur : tunc satis durum est hujusmodi querelæ indulgeri, ne in infinitum [35] causæ retractentur, et sopita jam negotia per hujusmodi viam iterum aperiantur, et contrarium aliquid nostro eveniat proposito. — Dat. 5 kalend. Mart. Lampadio et Oreste VV. CC. Conss. 530.

22. Imp. Justinianus.*

Si postuletur ab aliquo in judicio, ut instrumentum [36] non [37] adversus seipsum, sed alium quendam producat, quod alteri prosit, idque producere recuset, ut qui damnum inde metuat; verum is qui exhiberi chartam petit, nequaquam eum lædendum dicat, sed pecuniam ipsum ab illis accepisse, qui per instrumentum exhibendum coarguendi sunt : vult constitutio, ut is qui habet instrumentum, idipsum proferat, siquidem ex illius prolatione nihil ipse damni sensurus sit. Sin reapse detrimentum ei prolatum instrumentum adferat, nequaquam eum cogi ad proferendum debere : cum ei magis expediet id occultare, quam publicare. Quod si affirmat is, cui opus est instrumento, nihil ei fraudis ex eo futurum; duntaxat jusjurandum præstet, *quod existimando se fidei suæ detrimentum pati propter instrumenti exhibitionem, eam ipsam ob causam proferre chartam recuset :* et quoniam sibi damno id fore putat, curiosius sacramentum præstet atque dicat, *se non quia pecuniam acceperit, vel quid aliud non proferendæ chartæ causa, vel quod muneris promissionem habeat, nec metu illius, contra quem instrumentum requiratur, nec ejusdem amore, chartæ exhibitionem recusare, sed quia magnum ex eo circa facultates suas detrimentum capiet.* Nam quemadmodum is, qui quadam in causa verum scire putatur, invitus [38] quoque testimonium dicere cogitur, neque si pecuniam promissam habet ob non perhibendum testimonium, neque si adversus amicos testimonium dicturus venit, recusare testimonium potest : ita nec is recusare potest, a quo instrumenti exhibitio desideratur, vel propterea quod aliquid acceperit, aut accepturum se speret, vel ob amicitiam cum illo, cui damno futurum est instrumentum. Sed si quis juret *se instrumentum, quod desideratur, non habere;* prorsus id proferre, quod non habet [39], haud cogitur : sin ejusmodi sacramentum præstare non sustinet, omnino cogitur desideratum instrumentum exhibere : quod si semel occultaverit, quasi qui nec jurare, nec instrumentum edere velit : omne damnum, quod hinc emerget, ei, cui opus est instrumento, de suo compenset : iisdem obtinentibus etiam in argentariorum aliorumque brevibus. Cæterum illi codices, vel instrumenta proferre cogantur, qui et testimonium dicere adversus aliquem coguntur. Nam in quas personas invitus quis testimonium non dicit, adversus easdem nec codices, vel instrumenta, vel quid aliud tale proferre cogitur. Notissimi sunt autem ex legibus [40], qui adversus aliquos inviti testimonium dicere non coguntur, sicut et ii, contra quos aliqui testimonium perhibere non coguntur. Nec ulli licet aliter cogere ut exhibeantur instrumenta, nisi eodem [41] in judicio, in quo causa agitur. Idque sumptibus [42] ejus, qui codicis, aut instrumentorum exhibitionem fieri desiderat. Oportet autem semel duntaxat eorum ostensionem fieri : ac si prolato semel instrumento, desideret is, cui opus est, exhiberi denuo, siquidem rationi consentaneum visum fuerit judici, ut iterum quoque charta proferatur, ille vero qui eam jam protulit, secundam exhibitionem recuset [43], quod se dicat *chartam perdidisse, vel alioqui non habere facultatem ejus exhibendi :* juramento tantum fidem facito, nec amplius ad proferendum cogitor : iisdem obtinentibus non in urbe duntaxat imperatrice, verumetiam in universa republica.

TIT. XXII.

PLUS VALERE, QUOD AGITUR [1], QUAM QUOD SIMULATE CONCIPITUR.

1. Impp. Valerianus et Gallienus AA. Rufino.

In contractibus rei veritas [2] potius, quam scriptura perspici debet.

2. Impp. Dioclet. et Maximianus AA. et CC. Soteriæ.

Acta simulata, velut non ipse, sed ejus uxor [3] comparaverit, veritatis substantiam mutare non possunt. Quæstio itaque facti per judicem, [vel] præsidem provinciæ examinabitur.— Dat. 10 kal. Maji, CC. Conss. 293.

3. *Iidem*, AA. et CC. Maximæ.

Emptione [4] pignoris causa facta, non quod scriptum, sed quod gestum est, inspicitur. — Dat. kal. Maji, *Sirmii*, CC. Conss. 293.

4. *Iidem*, AA. et CC. Decio.

Si quis gestum a se, alium [5] egisse scribi fecerit, plus actum, quam scriptum valet. — Dat. 8 kal. decemb. CC. Conss. 293.

5. *Iidem*, AA. et CC. Victori.

Si falsum instrumentum emptionis conscriptum tibi velut locationis, quam fieri mandaveras, subscribere non relegentem, sed fidem habentem, suasit : neutrum contractum (in utroque alterutrius consensu deficiente) constitisse proculdubio est. — Dat. 13 kal. Januar. CC. Conss. 294.

TIT. XXIII.

DE COMMODATO [1].

1. Impp. Dioclet. et Maxim. AA. Sciolæ.

Ea quidem, quæ vi majore auferuntur, detrimento eorum, quibus res commodantur, imputari [2] non solent. Sed cum is, qui a te commodari sibi

12. L. 25, infr. de liberali caus. — 13. L. 17, L. 21, supr. de pact.; L. 1, supr. si major factus. — 14. L. 17, supr. de pact.; L. 12, supr. de probat.; L. 3, infr. de fide et jure hastæ.— 15. L. 25, infr. de liberali caus. — 16. L. 5, supr. h. t. — 17. L. 15, supr. de rei vindic.; L. 12, infr. de contrah. empt.; L. 1, infr. de adquir. et retin. possess. — 18. Confer. L. 1, L. 18, supr. de testib.; L. 14, infr. de contrah. et committ. stip.; L. 10, D. de probat. — 19. *Immo vide* d. L. 10, D. de probat.— 20. L. 20, infr. h. t. — 21. L. 74, D. de R. J. — 22. L. 36, § ult. infr. de donat. — 23. L. ult. infr. de contrah. empt. — 24. L. 11, § 1 et seq. D. de action. empti. — 25. L. 229, L. 230, D. de V. S. *juncta* L. 16, supr. de transact.; L. 1, in fin. ad SC. Tertull. — 26. L. 5, infr. de sponsal. — 27. L. 16, supr. tit. prox. — 28. *Adde* L. 7, D. testamenta quemadm. aper. — 29. L. 13, supr.; L. 21, § 2, D. de testib.; L. 15, pr.; L. 18, § 3 D. de quæst.; N. 90, c. 1, § 1. — 30. L. 6, supr.; L. 25, D. de legib.

31. N. 49, c. 2, in fin. — 32. L. 5, supr. de testib. — 33. L. 1, supr. de jurejur. propt. calumn. — 34. L. 8, pr. D. de condit. instit. — 35. L. 13, pr. supr. de judic. — 36. Edict. Just. 9, c. 7, vers. memores. — 37. *Adde* L. 7, supr. de testib. — 38. L. 16, supr. d. t. — 39. L. 21, supr. h. t. — 40. L. 4, L. 5, L. 8, L. 19, D.; L. 3, L. 6, L. 8, L. 12, supr. de testib. — 41. d. L. 21, vers. eandem, supr. h. t. — 42. *Adde* L. 11, in fin. supr. de testib. — 43. d. L. 21.

Tit. XXII. — 1. L. 9, in fin. infr. de contrah. empt.; L. 3, supr. de postul.; L. 5, supr. de legib.; L. 21, supr. de transact.; L. 54, D. de oblig. et act. *adde* L. 27, D. depos. — 2. L. 2, infr. h. t.; L. 17, infr. ad SC. Vell.; L. 6, vers. quod si infr. si quis alteri vel sibi; L. 6, § 1, D. de off. præs.; L. 54, D. de oblig. et act. — 3. d. L. 6. infr. si quis alteri vel sibi. — 4. L. 1, infr. de pact. pignor.; L. 5, L. 6. D. de distract. pignor. — 5. L. 2, supr. h. t.

Tit. XXIII. — 1. Lib. 13, D. 6. — 2. L. 5, § 4, D. h. t.

bovem postulabat, hostilis incursionis contemplatione periculum amissionis, ac fortunam futuri damni in se suscepisse[3] proponatur : præses provinciæ, si probaveris eum indemnitatem tibi promisisse, placitum conventionis implere eum compellet. — Dat. 6 kal. Jun. ipsis AA. Conss. 287.

2. *Iidem,* AA. Aulizano.

Cum eum, qui temporalis ministerii causa suscepit ancillam, ad restitutionem ejus bona[4] fides urgeat : consequens est, socerum tuum hujus rei causa tradidisse ancillam, adito præside provinciæ, probare : ut fidem susceptam is, adversus quem supplicas, compellatur agnoscere. — Dat. prid. non. novembr. ipsis AA. Conss. 287.

3. *Iidem,* AA. Soteriæ.

De restituendis rebus, quas [marito] obligandas[5] pro se dederas, postquam debitum fuerit extenuatum, commodati actionem etiam adversus heredes ejus exercere potes. — Dat. 3 idib. april. *Sirmii,* ipsis et Conss. 287.

4. *Iidem,* AA. et CC. Faustinæ.

Prætextu debiti[6] restitutio commodati non probabiliter recusatur. — Dat. 12 kal. decemb. ipsis AA. Conss. 293.

TIT. XXIV.

DE PIGNERATITIA[1] ACTIONE.

1. Impp. Severus et Antoninus AA. ad Metrodorum.

Ex pignore percepti fructus imputantur[2] in debitum : qui si sufficiunt ad totum debitum, solvitur actio, et redditur pignus. Si debitum excedunt, qui supererunt redduntur[3]; videlicet mota actione pigneratitia. — P. P. idib. octobr. Apro et Maximo Conss. 208.

2. Imp. Alexand. A. Demetrio.

Quod ex operis[4] ancillæ, vel ex pensionibus domus, quam pignori detineri dicis, perceptum est : debiti quantitatem relevabit. — Dat. kalend. octob. Antonino 4 et Alexand. Conss. 223.

3. *Idem,* A. Victorino.

Creditor, qui prædium pignori nexum detinuit, fructus[5], quos percepit, vel percipere debuit, in rationem exonerandi debiti computare necesse habet : et si agrum deteriorem[6] constituit, eo quoque nomine pigneratitia actione obligatur. — P. P. 6 idib. decembr. Antonino 4 et Alexandro Conss. 223.

4. *Idem,* A. Hermeo et Maximillæ.

Pactum vulgare[7], quod proposuistis, *ut, si intra certum tempus pecunia soluta non fuisset, prædia pignori vel hypothecæ data vendere liceret :* non adimit debitori adversus creditorem pigneratitiam actionem. — P. P. 12 kal. Maji, Maximo 2 et Æliano Conss. 224.

5. *Idem,* A. Dioscoridæ.

Si creditor sine[8] vitio suo argentum pignori datum perdiderit, restituere id non cogitur : sed si culpæ reus deprehenditur, vel non probat manifestis rationibus se perdidisse : quanti debitoris interest, condemnari debet. — P. P. 13 kalend. Maji, Juliano 2 et Crispino Conss. 225.

6. *Idem,* A. Trophimæ.

Quæ fortuitis[9] casibus accidunt, cum prævideri non potuerint, (in quibus etiam aggressura latronum est) nullo bonæ fidei judicio præstantur : et ideo creditor pignora, quæ hujusmodi casu interierint, præstare non compellitur : nec a petitione[10] debiti submovetur : nisi inter contrahentes placuerit[11], *ut amissio pignorum liberet debitorem.* — P. P. idib. april. Fusco et Dextro Conss. 226.

7. Imp. Gordian. A. Juliano.

Creditor, qui fundos et domos pignori, vel hypothecæ accepit, damnum[12] in decidendis arboribus domibusque destruendis ab eo datum, in rationem debiti deducere cogitur. Et si dolo[13] vel culpa rem suppositam deteriorem fecerit : eo quoque nomine pigneratitia actione tenebitur, ut talem[14] restituat, qualis fuerat tempore obligationis : creditor autem necessarios sumptus[15], quos circa res pigneratitias fecit, exigere non prohibetur. — P. P. 13 kal. Aug. Gordiano A. 2 et Pompeiano Conss. 242.

8. Impp. Philippus A. et Philippus C. Saturnino.

Si nulla[16] culpa seu segnitia creditori imputari potest : pignorum amissorum dispendium ad periculum ejus minime pertinet. Sane si simulata amissione etiamnum eadem pignora (ut adseveras) a parte diversa possidentur : adversus eum experiri potes. — P. P. 8 kalend. Mart. Præsente et Albino Conss. 247

9. Impp. Dioclétian. et Maximian. AA. et CC. Georgio.

Pignus in bonis[17] debitoris permanere, ideoque ipsi[18] perire in dubium non venit. Cum igitur adseveras in horreis pignora deposita, consequens est, secundum jus perpetuum pignoribus debitori pereuntibus (si tamen in horreis, quibus et alii solebant publice uti, res depositæ sint) personalem actionem debiti reposcendi causa integram te habere. — P. P. 6 non. Maji, *Mediolani,* AA. Conss. 293.

10. *Iidem,* AA. et CC. Apollodoræ.

Nec creditores, nec qui his successerunt, adversus debitores pignori quondam res nexas petentes, reddita[19] jure debiti quantitate, vel his non accipientibus, oblata et consignata[20] et deposita : longi temporis præscriptione muniri possunt : unde intelligis, quod, si originem rei probare potes, adversario tenente vindicare dominium debes. Ut autem creditor pignoris defensione se tueri possit, extorquetur ei necessitas probandi debiti : vel si tu teneas, per vindicationem[21] pignoris, hoc idem inducitur : et tibi non erit difficilis, vel solutione, vel oblatione atque solemni depositione pignoris liberatio. — Dat. non. Maji, ipsis CC. et Conss. 294.

11. *Iidem,* AA. et CC. Ammiano.

Pignoris causa res obligatas, soluto debito restitui debere, pigneratitiæ actionis natura declarat : quo jure, si titulo pignoris obligasti mancipia, per eandem actionem uti potes : nec creditor citra[22] conventionem, vel præsidalem jussionem debiti causa, res debitoris arbitrio suo auferre potest. — Dat. 5 kalend. Jan. *Sirmii,* ipsis CC. et Conss. 294.

12. *Iidem,* AA. et CC. Herisco.

Quo minus fructuum[23], quos creditor ex rebus obligatis accepit, habita ratione, ac residuo debito soluto, vel si per creditorem factum fuerit, quo minus solveretur, [oblato[24], et consignato, et deposito], pignora quæ in eadem causa durant, restituat debitori : nullo spatio longi temporis defenditur. — Dat. 12 kalend. decemb. CC. Conss. 294.

TIT. XXV.

DE INSTITORIA[1] ET EXERCITORIA[2] ACTIONE.

1. Imp. Antoninus A. Hermeti.

Servus tuus pecuniam mutuam accipiendo, ita demum te institoria actione obligavit, si cum eum officio alicui, vel negotiationi exercendæ præponeres, etiam ut id faceret[3], ei permissum a te probetur. Quod si hæc actio locum non habeat : si quid in rem tuam versum[4] probabitur, actione in eam rem proposita, cogeris exsolvere. — P. P. 8 kalend. septembr. Duob. Aspris Conss. 213.

2. Imp. Alexander A. Callisto.

Ex contractibus servorum, quamvis de peculio duntaxat domini teneantur, de eo tamen, quod in rem eorum versum[5] est, vel cum institore ex causa cui præpositus fuit, contractum est : etiam in solidum conveniri posse dubium non est. — P. P. kal. Maji, Alexandro A. 2 et Marcello Conss. 227.

3. *Idem,* A. Martiæ.

Institoria tibi adversus eum actio competit, a quo servum mensæ præpositum dicis, si ejus negotii causa[6] quod per eum exercebatur, deposi-

3. L. 23, D. de reg. jur. *adde* L. 1, § 35, D. depositi; L. 22, supr. de negot.; L. 7, § 15, D. de pact.; L. 5, § 2, D. commodati; L. 39, D. mandati. — 4. § 28, Inst. de act.; L. 23, D. de reg. jur. — 5. L. 5, § 12, D. h. t. — 6. *Confer.* L. 18, in fin. D. eod.; L. 15, in fin. D. de furt.

Tit. XXIV. — 1. Lib. 13, D. 7; § ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. — 2. L. 11, infr. de usur. — 3. L. 4, infr. h. t. — 4. L. 2, infr. de part. pignor. — 5. d. L. 2. — 6. L. 7, infr. h. t. — 7. L. 1, infr. de pact. pign.; § 1, Inst. quib. alien. lic. vel non. — 8. L. 13, § 1, D. h. t.; L. 6, D. de nautic. fœn.; § ult. Instit. quib. mod. re contrah. oblig. — 9. L. 5, supr.; L. 9, infr. h. t. d.; § ult. Inst. quib. mod. re: L. 21, § 2, D. de pignorib.: L. 23, D. de reg. jur. *adde* L. 13, infr. mandat.; L. 5, § 4, D. commod.; L. 1, § 35, in fin. D. depos.: L. 41, D. locati; L. 12, princ. D. de custod. et exhib. reor.; L. 2, § 7, D. de admin. rer. ad civit. pertin. — 10. § ult. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. — 11. L. 1, supr. de commod.; L. 23, D. de reg. jur. — 12. L. 3, in fin. supr. h. t. — 13. L. 23, D. de reg. jur. — 14. L. 38, § 4, D. de usur. — 15. L. 6, infr. de pignorib.; L. 8, pr.; L. 25, D. h. t. — 16. L. 4, § 8, D. de dol. mal. et met. except.; L. 5, supr. h. t. — 17. L. 35, in fin. D. eod.; L. 6, D. de naut. fœn.; § 1, Inst. quib. alienare; L. 12, pr. D. de distract. pignor.; L. 17, § 11, D. de ædilit. edict; L. 29, D. qui et a quib. manum. — 18. L. 6, supr. h. t. — 19. L. ult. infr. eod.; L. 20, infr. de pignorib.; L. 3, infr. de luit. pignor. — 20. *Adde* L. 19, infr. de usur.; L. 9, infr. de solut.; L. 28, in fin. D. de admin. et peric. tut. — 21. § 7, Inst. de act. — 22. L. 3, infr. de pignorib. *adde* L. 6, § 2, D. de re judic.; L. 7, infr. de distr. pignor. — 23. L. 1, L. 2, supr. h. t. — 24. L. 10, supr. eod.

Tit. XXV. — 1. § 2, Inst. quod cum eo qui in alien. potest.; Lib. 14, D. 3. — 2. d. § 2, d. Lib. 14, D. 1. — 3. d. § 2. — 4. L. 2, infr. h. t. — 5. L. 1, supr. eod. — 6. L. 1, § 12, D. de exercitor.

tam pecuniam, nec redditam, potest probari. — P. P. nonis Maji, Agricola et Clementino Conss. 231

4. Impp. Dioclet. et Maximianus AA. et CC. Antigonæ.

Et si a muliere[7] magister navi præpositus fuerit, ex contractibus ejus ea exercitoria actione ad similitudinem institoriæ tenetur. — P. P. 13 kalend. novemb. *Sirmii,* CC. Conss. 293.

5. *Iidem,* AA. et CC. Caio.

Si mutuam pecuniam accipere a [te] Demetriano Domitianus mandavit, et hoc posse probare confidis, ad exemplum[8] institoriæ eundem [Domitianum] apud competentem judicem potes convenire. — Dat. 4 kal. novembr. ipsis CC. et Conss. 294.

6. *Iidem,* AA. et CC. Onesimæ.

Qui secutus domini voluntatem, cum servo ipsius habuit contractum : ad instar [actionis] institoriæ recte in solidum[9] dominum convenit. — Dat. 14 kal. decemb. CC. Conss. 293.

TIT. XXVI.

QUOD CUM EO[1], QUI IN ALIENA POTESTATE EST, NEGOTIUM GESTUM ESSE DICETUR; VEL DE PECULIO[2], SIVE QUOD JUSSU[3], AUT DE IN REM VERSO[4].

1. Impp. Severus et Antoninus AA. Ælio.

Cum filiusfamilias tutor aut curator datur, pater tutelæ, vel negotiorum gestorum judicio de peculio et de in rem verso conveniendus est. Quod si voluntate ejus filius[5] decurio sit creatus, et a magistratibus tutor constitutus, pater in solidum[6] satisfacere cogitur : cum id onus exemplo cæterorum munerum civilium introductum intelligatur. — Dat. 7 idib. novemb. Dextro 2 et Prisco Conss. 197.

2. *Iidem,* AA. Annio.

Ejus rei nomine, de qua cum filiofamilias contractum est, sive sua voluntate, sive ejus, in cujus potestate fuit, sive in peculium ipsius, sive in rem patris ea pecunia redacta est; si paterna hereditate abstinuit, actionem, nisi in id[7], quod facere possit, non dari perpetui[8] edicti interpretatione declaratum est. — P. P. 8 kal. decemb. Dextro 2 et Prisco Conss. 197.

3. Imp. Antoninus A. Artemoni.

Etiam si non mandante, neque jubente, neque subscribente[9] domina, pecuniam mutuam servo Priscæ dedisti, tamen ea quantitas si in rem dominæ ejus justis erogationibus versa est, de in rem verso[10] apud suum judicem eam conveni : consecuturus secundum juris formam id quod tibi deberi apparuerit. — Dat. 3 kal. Jul. Læto et Cereale Conss. 216.

4. *Idem,* A. Lucio.

Si ex contractu patris jussu ejus mutuam pecuniam accepisti, teque ejus hereditate abstines, frustra vereris, ne a creditoribus ejus convenia-ris. — Dat. 5 kal. Jan. Messala et Sabino Conss. 215.

5. Imp. Alexander A. Asclepiadi.

Nulla res prohibet filiosfamilias[11], si pro aliis[12] majores vigintiquinque annis fidejusserint, actione competenti adversus eos teneri. Sed si duntaxat de peculio tecum agatur, defensionibus, si quæ tibi competunt, uteris. — P. P. 6 id. decemb. Maximo 2 et Æliano Conss. 224.

6. Impp. Valerian. et Gallien. AA. et Valer. C. Matrono.

Si servus tuus sine permissu tuo accepta pecunia mutua, *in usurarum vicem[13] habitandi facultatem* [creditori] concessit : nullo jure adversarius tuus hospitium ex hac causa sibi vindicat : cum te servi factum non obligaverit, et ingrediens rem tuam, contra vim ejus, auctoritate competentis judicis protegeris. — Dat. 12 kal. Jul. Æmiliano et Basso Conss. 260.

7. Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Crescenti.

Ei qui servo alieno dat pecuniam mutuam, quamdiu superest servus, item post mortem [ejus] intra annum de peculio in dominum competere actionem : vel, si in rem[14] domini versa sit hæc quantitas, post annum etiam esse honorariam actionem, non est ambigui juris. Quapropter si quidem in rem domini pecunia versa est : heredes ejus convenire potes de ea summa, quæ in rem ipsius processit. Si vero hoc probari non poterit : consequens est, ut superstite quidem servo dominum de peculio convenias : vel si jam servus rebus humanis exemptus est, vel distractus, seu manumissus, nec annus excessit; de peculio, quondam adversus eum experiri possis. — § 1. Alioquin, si cum libero res ejus agente, cujus precibus meministi, contractum habuisti, et ejus personam elegisti : pervides contra dominum nullam te habuisse actionem, nisi vel in rem ejus pecunia processit, vel hunc contractum ratum[15] habuit. — Dat. non. april. *Byzantii,* AA. Conss. 287.

8. *Iidem,* AA. et CC. Diogeni.

Si mandator[16] pro filio tuo extitisti, vel jussu tuo cum eo, quem in potestate tunc habuisti, contractum est : intelligis et sorti et usuris te parere oportere, si te his omnibus obligasti, ut res, quæ pignoris jure detinentur, liberari possint. Quod si fidejussor creditæ pecuniæ intercessisti : teneri te ex ea obligatione, explorati juris est. — Dat. 3 kal. Maji, CC. Conss. 293.

9. *Iidem,* AA. et CC. Isidoro.

Si ex alio contractu, non ex illicita mutui datione debitor extitisti, vel quod patrem[17] tuum in fidem suscepisti : tam in patris positus potestate jure teneris, quam etiam morte genitoris tui juris effectus. Et si quidem patri heres extitisti, in solidum : alioquin, in quantum[18] facere potes, secundum edicti formam. Sed et si per emancipationem tui juris[19] effectus es : similiter conveniri te posse, debes intelligere. — Dat. 6 idus april. *Byzantii,* CC. Conss. 293.

10. *Iidem,* AA. et CC. Diogeni et Aphrodisio.

Si liberam[20] peculii administrationem habentes, equas de peculio cum fœtu servi vendiderunt, reprobandi contractum dominus nullam habet facultatem. Quod si non habentes liberam peculii administrationem, rem dominicam eo ignorante distraxerunt : neque dominium, quod[21] non habent, in alium transferre possunt, neque conditionem eorum servilem scientibus [emptoribus] possessionis justum afferunt initium. Unde non immerito, nec longi temporis præscriptionem hujusmodi possessoribus prodesse manifestum est. Ideoque res mobiles ementes [a servo] etiam furti[22] actione tenentur. — Dat. 5 non. octobr. *Sirmii,* CC. Conss. 293.

11. *Iidem,* AA. et CC. Attalo.

Cum ancilla[23] contrahenti (quam jure non obligari [posse] constat) adversus dominum in quantum locupletius[24] ejus peculium factum est, ea superstite, ac post mortem [ejus] intra utilem annum dandam actionem non ambigitur. — Dat. prid. kal. decemb. CC. Conss. 293.

12. *Iidem,* AA. et CC. Victori.

Dominum per servum obligari non posse, ac tantum de peculio[25] (deducto scilicet quod naturaliter servus domino debet) ejus creditoribus dari actionem, vel si quid in rem ejus versum probetur, de in rem verso, edicto perpetuo declaratur. — Dat. 13 kalend. febr. *Sirmii,* CC. Conss. 293.

13. Impp. Honorius et Theodosius AA. Joanni P.

Dominos ita constringi manifestum est actione prætoria, quæ appellatur, *quid jussu,* si certam numerari præceperint servo, actorive pecuniam. Igitur [hac] in perpetuum edictali lege sancimus : ut qui servo, colono, conductori, procuratori [actori] ve possessionis, pecuniam mutuam dat; sciat dominos possessionum, cultoresve terrarum obligari non posse. Neque familiares epistolas, quibus homines plerumque commendant[26] absentem, in id trahere convenit, ut pecuniam, quam rogatus non fuerat, impendisse pro prædiis mentiatur : cum nisi specialiter, *ut pecuniam præstet,* a domino fuerit postulatus; idem dominus teneri non possit : creditaque quantitate multari volumus creditores, si hujusmodi personis non jubente domino, nec fidejussoribus specialiter acceptis, fuerit credita pecunia. Sane creditori damus licentiam : ut si liber [a] rationibus, quas gerebat, fuerit inventus actor servus, procuratorve prædiorum; utilis actio pateat de peculio. — Dat. 5 idib. Jun. *Ravennæ,* Honorio 10 et Theodosio 6 AA. Conss. 415.

7. *Adde* L. 1, § 16, § 21, D. d. t. — 8. L. 19, pr. D. de institor. — 9. L. 2, in fin. supr. h. t.

Tit. XXVI. — 1. Lib. 4, Inst. 7; Lib. 14, D. 5. — 2. § 4, Inst. quod cum eo; Lib. 15, D. 1, 2. — 3. § 1, § ult. Inst. quod cum eo; Lib. 15, D. 4. — 4. § 4, § ult. Inst. quod cum eo; Lib. 15, D. 3. — 5. L. 1, supr. ne filius pro patre. — 6. *Immo vide* L. 3, § ult. D. de pecul.; L. 1, in fin. D. de magistr. conv.; L. 2, § pen. D. ad municip. — 7. L. 2, D. h. t.; L. 49, D. de re judic. — 8. d. L. 2. — 9. L. 1, § 4, D. quod jussu. — 10. d. § 4, Inst. quod cum eo. — 11. L. 3, § 5, § 9, D. de pecul. *fac.* L. 39, D. de oblig. et act. — 12. *Adde* L. 8 infr. de fidejuss. — 13. L. 14, L. 17, infr. de usur.; L. 11, § 1, D. de pignor. — 14. L. 41, D. de pecul. — 15. L. 1, § 6, D. quod jussu; L. 7, infr. ad SC. Maced.; L. 4, infr. de usucap. pro empt.; L. 12, in fin. D. de solut. — 16. L. 1, § 3, D. quod jussu. — 17. L. 8, infr.; L. 10, § 1, D. de fidejussor. — 18. L. 2, supr. h. t. — 19. L. ult. infr. de emancip. — 20. L. 18, in fin. D. de pignor. act. — 21. L. 8, in fin.; L. 40, in fin. D. de pecul. — 22. *Adde* L. 56, § 3, D. de furt. — 23. L. 5, § 2, D. de tributor.; L. 1, § 3; L. 3, § 2; L. 27, D. de pecul. — 24. L. 12, infr. h. t. — 25. § 10, Inst. de action. — 26. L. 11, § 2, D. de legat. 3.